



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 7. Præter hæc verba, Ego te absolvo, &c. oportet-ne in absolvendo  
dicere alia verba, quæ in Rituali præscribuntur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

confitetur. Magis autem ex verbis Domini colligitur, hanc esse formam debitam absolvendi, Ego te absolvo. Sicut enim Dominus discipulis dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos. *Matth. ultimo*, ita dixit: Quodcumque solveris super terram. Vnde sicut conveniens est forma Baptismi ut Minister dicat, Ego te baptizo, quia Dominus Ministris actum baptizandi attribuit; ita conveniens forma est ut dicatur, Ego te absolvo, quia Dominus Ministro actum absolvendi attribuit.

*Quaest. 7.* Præter hæc verba, Ego te absolvo, &c. oportet-ne in absolvendo dicere alia verba, quæ in Rituali præscribuntur?

*Resp.* Quamvis ommissio aliquorum ex his verbis, non efficiat absolutionem invalidam, constat tamen, nisi necessitas aliud suadeat, omninò recitanda esse quæ in Rituali continentur sine ulla prorsus additione, vel detractio-  
ne; & quia experientiâ constat, plures Confessarios aliquatenus alterare formulam in absolvendo præscriptam, non abs re erit hîc indicare formam, & apponere, quæ habeatur in Rituali Romano de Sacramento Pœnitentiæ in hunc modum: *Cùm igitur Pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei prius, & ab eo acceptâ salutari Pœnitentiâ, primò dicit: Misereatur tui omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. Amen. Deinde dexterâ versus pœnitentem elevatâ, dicit: Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus-Christus te absolvat, & ego autoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu*

*De Sacramento Pœnit. Cap. IV. 15*  
indiges ; Deinde : Ego te absolvo à peccatis  
tuis , in nomine Patris , & Filii , & Spiritus-  
sancti. *Si Pœnitens sit Laicus , omittitur ver-  
bum suspensionis : Passio Domini nostri Jesu-  
Christi , merita Beatæ Mariæ Virginis , &  
omnium Sanctorum , quidquid boni feceris &  
mali sustinueris , sint tibi in remissionem pec-  
catorum , augmentum gratiæ & præmium vitæ  
æternæ. Amen. In confessionibus autem fre-  
quentioribus & brevioribus omitti potest : Mi-  
serereatur , &c. Satis erit dicere : Dominus  
noster Jesus-Christus , &c. ut supra usque ad  
illud : Passio Domini , &c. Urgente verò ali-  
quâ gravi necessitate in periculo mortis , bre-  
viter dicere poterit : Ego te absolvo ab omni-  
bus censuris & peccatis , in nomine Patris , &c.*

C A P U T I V .

*De Effectibus & Partibus Sacramenti  
Pœnitentiæ.*

*Quæst. I. Q*UISNAM est primus Sa-  
cramenti Pœnitentiæ effectus?

*Resp.* Nihil utilius , nihil efficacius nos im-  
pellere potest ad amplectendum cum gaudio  
Pœnitentiæ , quàm ingentium consideratio  
bonorum , quæ ex ea percepturi sumus , quo-  
rum primum est remissio omnium peccato-  
rum , quibus specialiter applicatur ; quod qui-  
dem eloquenter suo more explicat S. Joannes  
Chryostomus relatus in Canone his verbis :  
*Talis , mihi crede , talis est erga homines  
pietas Dei , nunquam spernit Pœnitentiæ ,  
si ei sincerè & simpliciter offeratur : etiam  
si ad summum quis perveniat malorum , &  
inde tamen velit reverti ad virtutis viam ,*

*Can. Talis  
De Pœnit.  
dist. 3.*